

Sensus Symbolorum.

DEO. PROPITIO. REGIMINI. PVBLICO. PRAEEST. VBI. MAGNO. ET. QVOTIDIANO. LABORE. QVAERENDVM. EST. OPTIMVM. QVOD. CIVITATI. NOSTRAE. PRODEST. SVA. FELICITATE. POPVLI. SVSTINET. FORTVNAM. SVAVI. CVM. PATRIBVS. SOCIETATIS NEXV. CONIVNCTVS. ET. FLORE. VIRTVTE. AC. IVSTITIA. PRVDENTER. PROVIDEQVE. OMNIA. PONDERATA. EXEQVITVR. STVDIOSAE. ITIDEM. IVVENTVTIS. INCREMENTA. LARGA. PROMOVET. BENIGNITATE. IAM. DISPVLSA. CALAMITATIS. NVBE. MELIOR. REIPVBLICAE. AFFVLGEAT. LVX. TRANQVILLITATIS. NVNTIA. ET. IPSE. ROSETI. INSTAR. FIRMA. VALETVDINE. DIGNITATIS. AC. SAPIENTIAE. COMMODIS. PERPETVO. EFFLORESCAT.

SYMBOL. I. Columna vulgo regendi virtutem ac quodvis auxilium indicat, Stella Dei praesidium & nutum ex veterum Aegyptiorum sententia. HORAPOLL. L. II. *Hieroglyph:*

II. Sciurus catena constrictus castaneam pedibus tenens, corticemque mordendo nucleum quaerens Symbolum perpetui & indefessi laboris est. PIER. VALER. *Hierogl.* L. IV.

III. Hemicyclus Horizontem, murus ἑβδάπυργος, civitatem significat, a septem planetis tanquam praesidibus custoditam, iuxta A. KIRCHER. *Oedip. Syntagm. II. Tom. III.* modo enim iuxta duodecim Zodiaci signa XII. apices, modo quatuor ad numerum Elementorum, modo septem ad planetarum VII. mansiones muri apices Aegyptii olim & ideam Reipublicae gubernandae formabant.

IV. Palma fertilitatis felicitatisque documentum praebet, quemadmodum papaveris caput, quod reclinatum in palmam conspicitur, populi in civitate, uti est ap. P. VALERIAN. L. II.

V. Conserta ex rosis et liliis corona fasciisque implicita signum esse debet societatis florentissimae & coniunctionis MAGNIF. SENATVS.

VI. Clava Herculis nodosa, industriam in domandis vitiis, poma tria, gestari laeva Herculis manu solita moderationem, temperantiam contemptumque voluptatis declarant, libra iustitiam. V. VALER. L. IV. CVPERVS *in* HARPOCRATE.

SYMB. VII. Aquila ales Iovi dicatus generosum animum indicat, rostro serpentem tenens prudentiam & in avertendis imminentibus malis providentiam, Conf. CVPERI *Apotheos. Hom. p.* 24 *& Harpocr. p.* 60. E. SPANHEIMIVS *de Usu & praest. Numism. p.* 123. 128. &c.

His alluditur ad gravissima Burggrabii Regii & Prae-Consulatus munera, quibus fungitur VIR MAGNIF. & CONSVLT. in Civitate Regia Thorunensi.

VIII. Mons uti divitias terrae repraesentat & foecundandi facultatem KIRCH. *in mundo Subterr.* ita hic flumine benignitatem in succrescentes arbores nempe iuventutem. Conveniunt hæc in PROTO-SCHOLARCHAM *Nobilissimum*, ob primarias curas & benevolentiam multam, qua sibi Gymnasium devincit.

IX. Διόσκουροι, Castor & Pollux, sidera duo, in malo navis tranquillioris tempestatis praesagia a navigantibus vulgo habentur. B. Varen. Geogr. L. I. 22. 15. de quibus multa alia ex antiquitate repetit SPON. L. *de aris ign. Deor.* CVPERUS *in Harpocrate suo p.* 145. L. BEGERVS *in not. ad Flor.* L. I. 15.

X. Roseto innititur florenti foecundus olivae ramus, cui apes insident sapientiae omnisque dignitatis ac praestantiae Symbolum. Vid. VAL. L. *XXVI.* EZECH. SPANHEIM. *Dissert. I.*

Tecta Dei virtute Tua est, ROESNERE, benigni
Non immota potest ipsa deesse sibi.
Hac fultus tentas Tu ferre labore salutem
Afflictae patriae non pereunte bonam.
Cumque Tua cura gaudent meritisque foveri
Cives, hem! quantus publicus urbis amor.
Ille choro PATRUM te pulchre innexuit almo,
Hic qui sit nexus rosea serta docent.
Ipsa quidem virtus duro gaudere labore
Consvevit, sed ea est regula, quicquid agis.
Quae nocitura fient, urbi quæ commoda praestant,
Rimatus fausto consilio retegis.

Te Duce restaurant vires ac auspice Musae
Ipsis est Tecum visa venire salus.
Continuent superi pleno iam tanta favore
Commoda, Teque bonis dent superesse diu.
Sic redeat sidus laetum radiique salubres
Ad portum sospes naufraga navis eat.
His rerum auspiciis utinam nunc patria possit
Crescere. Tu propriis laudibus, illa Tuis!

Onomasteriis Ioanneis Viri Magnifici, Patroni Optimi, sacrum esse cupit

P. I.

A. cIↃ IↃCCXV.

THORVNII, Impressit Ioannes Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.